

## Band X., Nr. 4321, Seite 99-100

*Bischof Rudolf von Konstanz beurkundet und bestätigt einen Gütertausch  
zwischen Stift Waldsee und Kloster Weingarten.*

Konstanz, 1293. Januar 5.

Rūdolfus dei gratia Constantiensis episcopus omnibus Christi fidelibus, ad quos presentes pervenerint, subscriptorum notitiam cum salute. Ne propter labilem hominum memoriam et vicissitudinem temporum piis actibus, maxime per quos evidens ecclesiarum utilitas procuratur, possit in posterum in aliqua parte derogari, expedit ipsos scripturarum serie commendari. Noverint igitur tam posteri quam presentes, quod, cum monasterium in Walse ordinis sancti Augustini nostre dyocesis sub cura et regimine Hainrici quondam prepositi ipsius ad tantam inopiam devenisset tantoque foret oppressum honore debitorum, ut . . . canonici regulares ibidem deo servientes propter defectum victualium de nostra licentia se ad diversa loca tam nostre dyocesis quam ad partes alias transtulissent, solo ibidem Berhtoldo eiusdem monasterii canonico remanente, de cuius providentia et sollicitudine confidentes accedente consensu confratrum suorum eidem commisimus curam et gubernationem tam in spiritualibus quam in temporalibus monasterii antedicti, dantes eidem potestatem plenariam vendendi obligandi permutandi ac alio quocunque alienationis titulo a iure permisso distrahendi bona mobilia et immobilia corporalia et incorporalia spiritualia seu spiritualibus annexa dicto monasterio pertinentia ad extenuandum et tollendum honera debitorum, in quibus ipsum monasterium fore noscitur obligatum. Qui consideratis omnibus circumstantiis dicti monasterii et quod dictum monasterium meliori et utiliori modo non posset exui ab honore debitorum, decimam in Ankenrūti<sup>1</sup> dicto monasterio pertinentem recepta decima curie que vulgariter dicitur ze der Ziene a dilectis in Christo Hermanno abbatе et conventu monasterii in Wingarten iusto permutationis titulo in dictos . . . abbatem et conventum nomine sui monasterii pure et simpliciter transtulit tradidit et donavit. Qua permutatione facta et completa pure et simpliciter ut premisimus considerato quod temporalia seu proventus, qui ex iure dicte decime in Ankenrūti percipi consueverunt, longe excederent proventus seu temporalia provenientia ex decima dicte curie ze der Ziene, prelibati . . . abbas et conventus in refusionem et suppletionem proventuum predictorum et pro possessionibus curie site in opido Ankenrūti predicto, quam memoratus Berhtoldus gubernator dicti monasterii in Walse ipsis vendidit tradidit et donavit, quadraginta

---

<sup>1</sup>Ober- bzw. Unterankenreute, Schlier, RV.

marcas puri et legalis argenti ponderis Constantiensis eidem nomine sui monasterii in Walse recipienti plenarie et sine diminutione qualibet persolverunt, quam pecuniam predictus gubernator seu procurator in nostra presentia constitutus confessus extitit se recepisse et in solutionem debitorum monasterii predicti totaliter fore versam, supplicans nobis ut, cum omnia et singula que premisimus in evidentem sint utilitatem dicti monasterii in Walse attemptata, ipsis nostrum dignaremur impartiri assensum et ea auctoritate ordinaria confirmare. Nos vero diligenti et sollicita inquisitione prehabita, quia omnia et singula supradicta rite et legittime et in evidentem utilitatem utriusque monasterii invenimus attemptata, omnibus et singulis que premissa sunt nostrum adhibuimus consensum et presentibus adhibemus permutationem dictarum decimarum ac venditionem dictarum possessionum ac alia que premissa sunt auctoritate ordinaria valitura in perpetuum confirmantes. Et ne premissa vel aliquod ex eis in posterum possit aliqualiter infirmari, presens instrumentum fieri fecimus nostro sigillo ac sigillis dicti monasterii in Walse nobilisque viri Eberhardi de Walse militis advocati dicti monasterii consignatum.  
 Acta sunt hec Constantie in curia nostra, presentibus . . officiali curie Consantiensis, Ulrico de Richental canonicis ecclesie Constantiensis, Symone plebano ecclesie sancti Stephani civitatis eiusdem, Symone dicto Smerli, Hugone dicto Verli civibus Constantiensibus et aliis quam pluribus fide dignis, anno domini MCCLXXXIII., nonas Januarii, inductione VI.  
 Ego<sup>a</sup> Berhtoldus procurator seu gubernator dicti monasterii a reverendo patre ac domino Constantiensi episcopo predicto deputatus confiteor omnia premissa fore vera renuntians pro me meisque confratribus ac pro eis qui in dicto monasterio procedente tempore fuerint instituti exceptioni non numerate pecunie exceptioni doli mali deceptioni ultra dimidiam iusti pretii restitutioni in integrum privilegiis seu rescriptis a sede apostolica vel aliunde impetratis vel in posterum inpetrandis et generaliter omnibus exceptionibus et defensionibus tam iuris canonici quam civilis, per quas omnia premissa vel aliquod ex eis posset aliqualiter infirmari vel etiam irritum nuntiari, et in evidentiam premissorum sigillum nostri monasterii duxi presentibus appendendum.  
 Ego<sup>b</sup> Eberhardus advocatus dicti monasterii ad robur perpetuum eorum que premissa sunt meum sigillum duxi presentibus appendendum.

---

Der Textabdruck folgt dem Original (italienisches Perg.).  
 An rot und gelber Seidenschnur das beschädigte, spitzovale Siegel des Bischofs von Konstanz,

<sup>a</sup>Auch im Original Abschnitt.

<sup>b</sup>Auch im Original Abschnitt.

### III

67, 41 mm: Der auf einem mit Hundsköpfen und -tatzen verzierten Stuhl sitzende Bischof im Amtsschmuck, in der rechten Hand den Bischofsstab, mit der linken ein geschlossenes Buch auswärts haltend. Die vollständige Umschrift lautet: + *Sigillum . Rvdolfi . DEI . GRACIA . EPISCOPI . conSTANT . ECCE.*<br><br> Das zweite Siegel, wie das dritte an roter Seidenschnur befestigt gewesen, ist abgegangen. Das dritte rund, 42 mm., Schild mit Querbalken, im Siegelfeld oben ein sechstrahliger Stern, rechts und links je eine sechsblättrige Rose; Umschrift: + . S . EBERHARDI . . . WALSE.

## Überlieferung und Publikationen

### Lagerort:

HStA Stuttgart

### Signatur/Titel des Originals:

B 515 U 1470

### Überlieferung und Textkritik:

Original. War auch im 1944 durch Fliegerangriff verbrannten Diplomatär HStA Stuttgart H 14 Nr. 255. Vgl. Rep. HStA Stuttgart B 515, Bd. 2, S. 651.

## Weitere Angaben

### Beschreibstoff:

Pergament

### Sprache:

Lateinisch

### Ausstellungsort:

Konstanz

### Ortsindex:

Bad Waldsee Wohnplatz (18837)<br>Bad Waldsee, RV<br>Konstanz Wohnplatz (14442)<br>Konstanz, KN<br>Oberankenreute Wohnplatz (20197)<br>Oberankenreute, Schlier, RV<br>Richenthal, Reiden, Kt. Luzern, Schweiz<br>Unterankenreute Wohnplatz (20205)<br>Unterankenreute, Schlier, RV<br>Weingarten Wohnplatz (20565)<br>Weingarten, RV